

species vt Proteus.<sup>205</sup> Verum et istos vinciamus. Proponunt ista duo: I. Mandatam esse sumptionem, non adorationem. II. Christum non esse locali inclusione vel durabili praesentia alligatum ad symbola. Ergo non posse ad illum locum dirigi inuocationem. Primum respondeo: Sicut Thomae non erat opus peculiari mandato, quod cogeret eum inuocare Christum, sed satis erat ipsi notum esse vniuersale,<sup>206</sup> ita institutio, vt mandatum particulare non tollit, sed potius comprehendit vniuersale de adoratione Christi, sed praeterea expresse praecipitur commemoratio, quae praecipue complectitur inuocationem. Non dubium est igitur piam esse adorationem. Altera etiam obiectio reuera nulla est, quascunque te veritas in species, etsi panis non est locus corporis Christi, quod nec ipse Aquinas docuit,<sup>207</sup> tamen est vnio sacramentalis, sicut ipsi intelligunt, corporis cum pane vel substantialis respectus inter panem et verum corpus. Hoc manifestum est ex manducatione indignorum, qui cum pane ore carnali manducant verum corpus, etsi illis non communicatur efficacia. Ergo cum in ista actione vel administratione singulari et substantiali praesentia sit tota persona Christi, dico eo non quidem ad panem, sed ad Christum cum pane praesentem necessario dirigendam esse inuocationem, sicut cum penderet in cruce vel cum staret medius inter discipulos et Thomam. Nec ista prodigiosa [70:] illocalitas te potest liberare. Regula enim verissima est, quod miracula in corpore Christi edita honorem Christo debitum non detrahunt, sicut igitur ambulans super aquas inuocandus erat, ita praesens in ista actione non extra vera inuocatione ab omnibus, qui adsunt, compellendus est. Imo repeto hoc, quod paulo superius indicatum est. Illi ipsi huius nouae illocalitatis architecti inscienter vel inuiti etiam inclusionem localem ponunt, quia cum pane sumentis adest aliter quam aliis, qui non sumunt. Addo hoc: Illi, qui pugnant de reali, vera vel substantiali naturae humanae transfusione, si oculis suis discernere possent sanctos ab hypocritis, personae Christi secundum vtramque naturam substantialiter haerenti in piis deberent adorationem. Si igitur mandata et necessaria est adoratio, oblatio etiam, quae nihil aliud est quam petitio intercessionis, bona et sancta est. Cur non diceret igitur ecclesia conuersa ad panem: „Fili Dei, qui cum his symbolis vere et substantialiter ades, miserere mei et intercede pro me“? Item, cur in ista actione sacerdos non ita alloqueretur Deum? „Aeternae Pater, sisto tibi aeternum Filium tuum et oro te, exaudias me et omnium astantium preces per et propter eum“ sicut olim vsitatum fuit supplices regibus ostendere ipsis filios.

Concessa oblatione et adoratione profecto pium et sanctum opus est cumulare missas, vt in astantibus acuatur reuerentia et ardentior fiat inuocatio con-

<sup>205</sup> Zum urzeitlichen Wassergott Proteus, der als Sohn des Poseidon galt und über eine ausgeprägte Verwandlungsfähigkeit verfügte, vgl. Annemarie Ambühl, Art. Proteus, in: NP 10 (2000), 460f.

<sup>206</sup> Vgl. Joh 20,28.

<sup>207</sup> Vgl. Thomas von Aquin, Summa Theologiae III, q. 75 a.1 arg. 1.